

DISPUTATIO GNOSTOLOGICA

SEPTIMA,

De

DISCIPLINA,

EJUSQUE FUNDAMENTO,

OBJECTO DISCIPLINARI,

Quam

DEO DUCE & AUSPICE,

In

Inclyta Wittebergensi Academia,

PRÆSIDE,

M. GEORGIO MEIERO,

Lunæburgensi,


disquisitioni publicæ submittit

DANIEL CORTHYMIUS,

Afcaniâ-Saxo.

Ad diem 20. Februarii Anno M DC LXI.

H. Lq; C.



Literis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

No. 21. 17.

JDD.

a. LXXXV. 56.

diss. A
56



552

I. N. 7.

CAPUT VI.

DE DISCIPLINA.

SECTIO I. ΘΕΩΡΗΜΑΤΙΚΗ

THESIS I.

Conservativum Cognoscibilis principium est duplex,
DISCIPLINA & HABITUS INTELLECTUALIS.

Ἐκθεσις.

Disput. VII.
R. DANIELE
CORTHYMIO
Ascaniâ-
Saxone.

Conservati-
vum princî-
pium duplex.

§. 1. **D**ivisum suprâ Cognoscibilis principium efficiens fuit, in *Movens, Faciens & Promovens*. Duobus, *primo & secundo*, jam peractis ultimum restat evolvendum, quod cum iterum sit duplex: *Disciplina*, quæ cognoscibile excitatum promovet & communicat; & *Habitus intellectualis*, qui cognoscibile radicat atq; confirmat; de hoc in sequentibus acturi, *Discipline* naturam impræsentiarum exponimus.

§. 2. Vocantur autem *Disciplina & Habitus intellectualis* principia cognoscibilis *conservativa*, seu *promoventia*, quod scientia nostra beneficio disciplinarum maximè acquiratur, in habitu verò, qui (posteaquam firmas in mente egit radices) difficulter est mobilis, conservetur. Hinc Excell. D. Calovio salutantur Cognoscibilis principia secundum quid talia. *Disciplina* nimirum, ob cognoscibilis ad alios propagnationem. *Habitus vero intellectualis* ob cognitionis firmam in nobis radicationem. Nam licet res, nulla etiam existente disciplinâ, cognosci possent, cum tamen ea mentis nostræ sit conditio, ut penetrare omnia exactè nequeat, succurrit intelligentiæ disciplina, eamq; promovet plurimùm. Quo fit, ut certa disciplinarum

cur dicantur
principia
conserva-
tiva?
c. 6. Gnôstol.
p. 17.

narum systemata unicum ferè istud medium sint, quo ad feros etiam nepotes scientiæ, non sine insigni aliquo usu, transfereuntur.

§. 3. Quæ licet comparata ita sint, non putandum tamen est, quasi istiusmodi disciplinarum systemata in mente hæreant, sed extra eam habentur, adeoq; vel vivâ voce vel scripto comprehensa, rerum explicationes aliis communicant. Et hoc proprium est disciplinarum officium, ob quod etiam propagationis scientiarum medium non immeritò appellantur. Quando autem systema tale est ἐκτυπον, & extra mentem, præter illud dari debet τ' δεχέτυπον, quod est disciplina in mente interior, Ectypæ correspondens, quæ nihil est aliud, quam adæquata objecti sui coram mente repræsentatio, cui si per accuratam præceptorum comprehensionem & multijugam exercitationem superadditur habitus, quippe qui potentia intellectricis est τελείωσις, ipso hoc medio Cognoscibile firmiter in mente aservatur, ut inde nomen principii conservativi utriq; merito sit impositum.

Disciplina interior.

THESIS II.

Disciplina est rerum homogenearum ad idem, summum objectum formale revocatarum justa, plena ac ordinata tractatio, propagationi cognoscibilis inserviens.

Ἐκ τῆς

Disciplina definitio.

Subjectum
1. Etymologia

§. 1. Duæ potissimum sunt Theseos partes: *Subjectum* & *Predicatum*. Quoad SUBJECTUM notanda 1. venit *Etymologia*. Disciplina est à discendo, ratione etymi desumptâ à fine, quia ad discendum propenitur. Sicut etiam vox Græca μαθησις δὲ τὸ ἐμὰνθῆναι, quod est discere, deducitur. 2. *Homonymia*. Terminus *disciplina* sumitur (1) *proprie*, quatenus notat discantis passionem, quemadmodum doctrina actionem docentis. Doctrina enim & disciplina se inferunt mutuò, & unum agentis, alterum verò est patientis. Quo in sensu Zeno Veronensis utitur voce discipulatus: Unusquisq; inquit, nostrum in discipulatum verbi Dei nos mancipavimus. Hinc phraseologia tradere in disciplinam, in die Zucht oder Lehre thun. Cujus usum quam

2. Homonymia.

in sermone de præcepto.

quam

quàm maximè Cicero in officiis commendans : Quidam parentum, ait, disciplinâ sunt meliores (2) *Metaphorice*, quatenus (α) idem est quod *præscriptum*, institutio, morum correctio & censura, item præceptum, præscriptum, juxta quod est agendum. Sic Trajanus apud Plinium: Si qui, inquit, se contra meam disciplinam geserint, statim cœerceantur. (β) prout idem est, quod mos & consuetudo. Ita disciplina alia est Ecclesiastica, alia scholastica, alia militaris, alia domestica. (γ) quatenus refertur ad res cognoscibiles, vel potius ad habitum seu methodum & scientiam. Hinc disciplinæ aliæ dicuntur principales, aliæ instrumentales: aliæ Theoreticæ, aliæ Practicæ. Hinc quaestiones illæ: numquid Gnostologia peculiaris & à reliquis distincta sit disciplina? numquid Logica & Metaphysica distinctæ sint disciplinæ? An quod in una disciplina verum, in altera sit falsum? &c. Et hæc ultima acceptio hujus est loci.

l. 10. cap. 82.

§. 2. Huc referenda Philosophorum est distinctio, quâ disciplinas dispescunt in *Internas* & *Externas*. *Interna* dicuntur habitus Intellectualuales hominem perficientes, & aptum reddentes ad contemplandum vel operandum. *Externa* sunt quidem iidem habitus intellectualuales, sed certis præceptis inclusi, quibus homo ad perfectionem suam eruditur. Posterior acceptio hic à nobis attenditur.

Disciplina vel sunt interna vel externa.

§. 3. Superest 3. *Synonymia*. Dici aliàs consuevit *doctrina*, item *scientia*. *Scientia* enim quatenus illam Magister profitetur, *doctrina*; quatenus verò à discipulo addiscitur, *disciplina* salutatur. Aristoteles eam *Methodum*, nec non *Pædiam*, Ramæi artem nuncupant, quod tamen per catachresin est intelligendum. Communiter *systematis* nomine insignitur.

3. *Synonymia*

§. 4. PRÆDICATUM exhibet (1) *Conceptum latiore*, qui est tractatio. Quæ vox prædicatum constituit (α) *essentiale*, Non enim hic de internâ, quæ in mente est, sed de externa disciplina est sermo, quæ est extra mentem, & vel vivâ voce vel scripto comprehensa, aliis rerum explanationem communicat. (β) *Latius* quia non de disciplina tantum, sed de aliis quoq; verb. gr. de nudo themate, & partiali quodam objecto, quin imo de unico simplici termino institui tractatio valet, quam tamen di-

Prædicatum habet 1. conceptum latiore

2 *strictiorem* disciplinam nemo facile appellaverit. (2) *Conceptum strictiorem*, seu determinantem, ab *objecto*, *fundamento*, *officio* & *sine* disciplinae desumptum.

Objectum §. 5. *Objectum* sive materia circa quam, sunt res non promiscue omnes, sed homogeneae. Hæ ad certum aliquod *fundamentum* sunt reducendæ, quod est unum idemq; *objectum* & quidem formale. Quicquid enim sub formali alicujus disciplinae continetur, illud quoq; in ea venit tractandum. Non autem quodvis hic requirimus *objectum* *γωσόν* ac nudum aliquod nomen, sed quod sit *unum* & *totale*, quid sit in suo genere *summum* & *idem*, i. e. homogeneum & ejusdem nature cum suis membris & *objectis* particularibus, de quibus in theoremate sequenti pluribus.

Officium §. 6. *Officium discipline*, quod in pertractandis *objectis* illa exequitur, est *duplex* (1) *revocare homogenea*, quæ participant de eodem *objecto formali*. Res enim homogeneæ sunt, quæ de eodem conceptu communi participant, vel ad idem genus aut quasi genus revocari possunt. (2) *Ordinate res tractare*. Intellectus quippe semper evitare nititur omnem omnino confusionem, adeoq; & in disciplinis. Hinc versus vulgati:

Ordine fac doceas, & dexter habebere Doctor.

Ordine fac discas, & benè doctus eris.

Ordo est vel *Natura vel doctrina.* *Ordo* verò alius est *naturæ*; alius *doctrinæ*. *Ordo naturæ* est rerum, quando progressus fit ab iis, quæ sunt naturâ notiora. Et hic bifariam dicitur: aut enim est *perfectionis*, quo substantiæ sunt priores accidentibus, & inter substantias priores ac notiores res à materiâ sejunctæ, posteriores è materia concretæ: priores ac notiores generibus species, partibus tota. Aut est *generationis*, quo causæ priores & notiores sunt effectis, naturæ communes iis quas sub se cohibent. Vid. B. Sperlingium in medit. 4. de Subtil. p. 82. *Ordo doctrinæ est*, in quo proceditur à notioribus nobis, sive naturâ sint notiora, sive ignotiora. Ordo enim doctrinæ commoditatem & facilitatem sequitur, non attento ordine generationis aut dignitatis. Facillima ibi sunt prima, & ea, quæ ad sequentem faciunt cognitionem. *Ubi malè docet, qui quicquid in buccam venit prescribit, malè discit qui arripit, quicquid*

quisquid primo spectat in *intuitu*, ut laudatus habet laudato loco
B. Sperlingius. Est autem ordo doctrinae iterum vel *συνθετικὸς*
f. Compositivus, quo fit processus à principiis ad principiata,
vel *ἀναλυτικὸς* f. resolutivus, ubi à fine progredimur ad media
ad finem ducentia. De quibus Logici.

§. 7. Finis disciplinae in thesi proponitur duplex (1) *Cogno-*
scibilis communicatio. 2. *Propagatio*. Hinc disciplina à discendo
dicta, quod mutuam hominum operam, quae docendo & discendo
perficitur in seros etiam posteros transplantetur. Ex quibus
dictis sequentia breviter Disciplinae exstruo requisita: (1) ut accu-
rate tradat objectum. (2) Ut ordinate ac perspicue. (3) Ut suf-
ficienter ac plene, nequid sc. ad objectum quod pertinet, omittat,
nihilq; quod alienum est ac superfluum, adjiciat.

Finis

*Disciplina
requisita*

THESIS III.

Disciplinae fundamentum est objectum discipli-
nare, quod est conceptus unus, realis, communis, certis
suis principiis & affectionibus praeditus, aptus natus spe-
ciebus, sive modis contrahentibus limitari, qui non est
principium, vel affectio, vel modus contrahens, seu spe-
cies in alia disciplina.

*Objectum
disciplinare.*

Ἐκθεσις.

§. 1. Fundamentum disciplinae in praecedentibus dixi-
mus objectum, cujus naturam, in praesenti theoremate exhibi-
tam, ut imbibamus penitus, evolvendum (1) sistimus SUB-
JECTUM, cujus praenotanda (1) *Existencia*. Dari objectum di-
sciplinare, probat ratio disciplinae, quae nihil est aliud, quam
tractatio certum exigens thema, idq; menti repraesentans, cujus
materia est objectum. (2) *Etymologia*. Objectum disciplinare
complexum est voce, ita dictum ab objiciendo, quod tanquam
certum aliquod thema disciplinam tractanti objiciatur (3) *Ho-*
monymia. Vox *objecti* sumitur (α) *late*, prout omnibus compe-
tit, circa quae sensus & intellectus occupantur. Ita verbi gr.
Color & objectum visus est & simul intellectus (β) *proprie* prout
est

*Subiectum
cujus 1. Exi-
stencia
2. Etymolo-
gia
3. Homony-
mia*

est aliud ab imagine s. noëmate. Quodcumque enim quovis modo ab intellectu potest intelligi, id omne dicitur noëma, quod verò respectum habet ad disciplinam, objectum vocatur.

§. 2. Huc spectat distinctio subjecti in *Inhesionis* s. *informationis*: *Applicationis*, *occupationis*, s. *tractationis*, quod vel *considerationis* (quod aliàs vocatur *contemplationis*), circa quod disciplinæ versantur *Theoreticæ*: vel *operationis*, circa quod practicæ occupantur, sed de his plura facere verba non licet. Solum autem *occupationis* objectum à nobis hic loci attenditur, cuius (4) observanda *Synonymia*. Vocatur Græcis *ἀντικείμενον*. Latinis *subjectum*, *attributionis* nempe, non *inhesionis*, item *Materia circa quam*. Hæc tamen secundum diversam considerandi rationem ab objecto videtur distingui, quæ sc. *subjectum* propriè est respectu passionum & proprietatum, quæ in Scientia demonstrantur. *Objectum* autem est veluti scopus, in quem ipse collimat habitus. *Materia circa quam* illud est, circa quod occupatur scientia. Quid? quod accuratè magis adhibetur nomen objecti quam subjecti, aut materiæ circa quam. Appellatur quoq; nonnunquam *subjectum occupans*, quia circa illud actio aliqua s. habitus occupatur.

4. *Synonymia*

Predicatum

§. 3. Explanatō subjecto explanandum assumimus II. PRÆDICATUM, circa quod ante omnia annotandum, posse & debere objectum disciplinare in genere describi, sicut id exhibita à nobis descriptio evincit manifestè. *Dicis*: Aliter se habet hoc objectum in *Theoreticis*, aliter in *Practicis* disciplinis. Sed quid inde? Ergone sequitur à duobus distinctis conceptibus non posse præscindi generalem? Et ipsa *Philosophia Theoretica* aliter est comparata, quàm *Practica*, in genere tamen datur *Philosophiæ* definitio. Distingvendum, itaque erit inter *terminum convenientiæ*, qui omnino haberi potest, ut patebit ex dictis: & inter *terminum differentie*, quem utrumque & *Theoreticæ* & *Practicæ* disciplinæ objectum habet & habere debet proprium. Notetur itaque circa naturam objecti (1) *conceptus determinabilis*, qui est *conceptus*, nempe *formalis* s. *Noëma*. Res enim intellectui objecta, de qua talis forma in intellectu concipitur, *Conceptus* appellatur *objectivus*.

*Conceptus
latior*

Neq;

Neq; enim id quod est cognoscendum, sive cognoscibile, immediate valet cognosci, per receptionem sui in intellectu; sed receptio fit per medium, tanquam per signum formale, per imaginem & ideam, quâ *no* Cognoscibile repræsentatur intellectui, ut ipsa fiat intellectio. *Quæris*: Quomodo talis conceptus realis formetur? *R.* ab intellectu per abstractionem, utpote quæ non constituit objectum, sed mera saltem mentis est operatio. Est autem terminus hic objecto disciplinari tum *essentialis*, & nomen & *gracia* eidem communicans: tum *latior*, pluribus conveniens, siquidem non omne noëma sive conceptus, statim est objectum per inductionem.

§.4. *Conceptus* (2) *determinans* requisita objecti includens. Inter illa vero requisita. 1. est *Realitas*, ut sit conceptus realis, non ex hominum cerebellis excogitatus, sed in re fundatus. Non entis enim non sunt affectiones, multò minùs aliquod objectum disciplinare. 2. *Unitas*. Unus hic debet esse conceptus, quia est *Ens per se*, siquidem *Entis per accidens* non datur scientia, puta de Ente per accidens, cujus partes nullum habent inter se ordinem ad suum objectum. *Unus* ergo sit (a) *non æquivocè tantum*, quia objectum tenetur esse unum, *partim ratione sui*, prout certum menti nostræ debet repræsentare conceptum, quod in æquivocis fieri nequit, utpote quæ unam naturam non habent, sed in essentiâ sunt divisa. In æquivocis namq; est tantum nominis convenientia, quæ sub communi nomine dicunt plura ratione substantiæ diversa, quo ipso & mentem distrahunt, & ex statu indeterminato in determinatum eam deducere nequeunt: *partim ratione objectorum partialium*; Ab hoc enim solo omnia objecta partialia dependent, & ad idem eadem omnia reducuntur. Unus hic sit conceptus non (b) *per aggregationem tantum*, ita, ut sub aptitudine aggregationis ut *Ens per accidens* consideretur. Ratio est, quia in concretis & aggregatis non unus producitur conceptus, nisi in sua resolvantur principia sive simplicia. Ubi igitur non una est natura ibi unus esse nequit conceptus. *Dicis*: In disciplina subalternata objectum non est unum per se, sed per accidens. Sic *Opticæ* objectum est linea visiva; *Musicæ*, numerus sonorus.

B

Verum

2. *Conceptus*
strictior ex-
hibet requi-
sita, quorum
1. *Realitas*
2. *Unitas*

Verum notandum est, nos non omnes simpliciter remove-
 terminos complexos, sed sub aptitudine aggregationis confide-
 ratos. Deinde distingvendum hic est inter ipsam rem s. ob-
 jectum: & inter scibile rei. Licet tale objectum v.g. numerus
 sonorus, Ens sit per accidens, in genere rei, in genere tamen sci-
 bilis sit Ens per se, idq; ideo, quia subjectum subalternantis se
 habet instar materiae, differentia vero ipsi superaddita, licet ac-
 cidens sit, tamen instar differentiae specificae limitat illud ob-
 jectum. Unde in talibus sufficit unitas in *esse scibili* & ordinis,
 licet non sit unitas in Esse actuali, monente Joh. Lalemandetio
 disp. 10. Log. p. 425. Maximè vero unus est in respectu ad infe-
 riora, *partim univocè*, *partim analogicè*. Communes enim af-
 fectiones, quae subjecto includuntur unitatem simplicitatem,
 & impartibilem rationem Entitatis objecti postulant, quae in
 solo univoco & analogo reperitur. Vide Aristotel. l. 4. Metaph.
 cap. 6. p. m. 1289. *Unitas autem univoca* est in disciplinis parti-
 cularibus, ut v.g. in Physica & Mathesi: *Analogica* est in disci-
 plinis transcendentalibus, qualis est Metaphysica, Noologia
 &c. (3) Requiritur *Summitas*, ut objectum in suo genere sit
 summum, quia partim intellectus noster infinitis quasi conclu-
 sionibus distrahitur, unde tale inveniendum est medium, quod
 certa constituit noemata, ad quae singulae referri conclusiones
 possint: partim haec conditio totum fermè esse suum disciplinae
 largitur, eamq; ab aliarum tractationum generibus sequestrat,
 quod sc. disciplinae objectum sistat totale, aliae vero tractationes
 tantum partiale. (4) *Natura identitas*, ut eandem cum omnibus
 suis membris & objectis particularibus habeat naturam. Cujus
 requisiti tanta est necessitas, ut ad hanc identitatem rota disci-
 plinae latitudo commensuratur, ne ipsa se disciplinae extendat
 ulterius, quam se objecti extendit natura. (5) Requiritur hic
Principiorum & affectionum praesentia & veritas, ut nempe talis
 conceptus certa admittat principia, certisq; sit praeditus affectio-
 nibus. *Principia* vero ubiq; non sunt *constituentia*, sed suffi-
 ciunt *principia cognoscendi*, cum, ut loquitur Scotus, impossibile
 sit, primum scibile habere principia essendi. *Affectiones*, quae
 ut propria subjecto insunt, & per quas subjectum redditur tale,
 vel

3. *Summitas*

4. *Identitas*

5. *Principiorum & affectionum veritas.*
v. sentent. in prolegom.

vel sunt proprie sic dicta, & vocantur accidentia, non communia, sed propria, quæ ab essentia realiter distinguuntur: vel analogica, habentes se tanquam proprietates naturam subjecti essentialiter consequentes, & ab intellectu nostro, in re deprehendente fundamentum, apprehensa. Quod fundamentum etiam, ut quædam velut extra naturam subjecti posita apprehendantur, ipsum intellectum movet atq; adducit. Vide Habitum Intelligentiæ Mich. Eißleri c.6. p.152. (6) *Per modos contrahibilibitas*, ut nempe conceptus iste aptus sit modis contrahentibus limitari. Quia enim objectum debet esse universale, cujus affectiones universaliter cognoscantur, attendendum in simul est, quæ inferiorum sit natura, & quibus hæc universalia possint attribui, & quidem quatenus illud ratio objecti formalis, sub qua consideratur, concedit. Necessarium proinde hoc est objecti disciplinaris requisitum, ut specialiores admittat rationes essentialiter sibi subjectas, quæ aut species sint, aut quasi species. Sufficiunt n. hic modi contractiores, quando ob simplicitatem differentia specifica *κρυψως* sic dicta non invenit locum. 7. *Principiorum, affectionum & specierum singularitas*. 7. *Principiorum affectionum & specierum singularitas*. Nempe objectum in nulla alia disciplina considerari debet, tanquam principium constituens, ut affectio denominans, & ut species seu modus contrahens. Quod requisitum tantæ est necessitatis, ut in eo non malè formalitas objecti ponatur. Licet enim aliquid præcedentes conditiones omnes habeat, hæc verò sola si destitueretur, pro adæquato disciplinæ objecto haberi non meretur. Tria autem hoc involvit *Requisitum* (1) *ut illud, quod constituit objectum, sit in nulla disciplina instar principii constituentis*. Patet asertum, quia principium ei objecto, quod vel constituit, vel de quo aliquam demonstrat affectionem, est annexum (2) *ut non in alia disciplina sit instar affectionis propriae denominantis*, quia affectio propria cum suo subjecto ita est conjuncta, ut per principia sua de eodem demonstratur. Porro quia hæc est disciplinæ pars de objecto debet verificari. (3) *ut non sit in alia quadam disciplina species, seu modus contrahens*. Modi enim contrahentes objectum ad species ei subjectas, aut quasi species simul percipiendas limitant atq; restringunt, adeoq; eadem in disciplina sunt evolvenda.

THESIS IV.

Causa externa.

Objecti disciplinaris causæ externæ sunt, *Efficiens*, quæ est intellectus, abstrahens aliquam formalitatem: & *Finis*, qui est distincta rerum cognitio.

THESIS V.

Causa interna.

Causæ internæ (per analogiam tales) sunt *Materiale*, juxta quod aptum natum est cognosci à multis disciplinis, ad nullam certam disciplinam contractum: Et *Formale* juxta quod objectum abstractionis beneficio legitimè præcisum certæ disciplinæ mancipatur.

THESIS VI.

Status objecti quadruplex.

Quolibet objectum & quælibet res si universalem gignere debet conceptum, in quadruplici sit statu necessum est, quorum. (1) est objectivus fundamentalis. (2) objectivus Idealis. (3) Idealis formalis. (4) Universalis.

Ἐκ θεοῦ.

Status hic nihil est aliud, quam certus aliquis respectus, quo objectum penes esse suum sumitur diversimodè. Vide Nomenclologiam Eißleri, p. 21.

THESIS VII.

Objectivus fundamentalis.

Status objectivus fundamentalis est, secundum quem res in individuis radicanatur & existunt.

THESIS VIII.

Objectivus idealis.

Status objectivus idealis est, quando res non tantum spectatur prout in individuis est fundata, sed etiam in ratione abstractionis & præcisionis concepta, menti representatur.

THESIS IX.

Idealis formalis.

Status idealis formalis est, juxta quem res actu intellectui per speciem sui representativam sistitur.

THESIS X.

Universalis.

Status universalis est, quando objectum aliquod consideratur, non tantum quatenus in individuis radicanatur,

catum,

catum, & à conditionibus individuantibus abstractum, gignit aliquod *νόημα*, sed etiam quatenus spectatur cum aptitudine essendi in multis, & aptum natum est per species sive modos contrahi.

THESIS XI.

Objectum (1) est vel Totale s. adæquatum: vel *Divisio*
Partiale s. Inadæquatum. (2) Totale aliud est Contemplativum: aliud Operativum. (3) Objectum est vel per se vel per accidens (4) objectum est vel commune: vel proprium.

Ἐκθεσις.

Singula singularum thesium membra diducendi quidem erat animus, sed cum intentioni obstet angustia pagellarum injuria, quæ adduci poterant & debebant alii reservamus commoditati.

SECTIO II. ΑΞΙΩΜΑΤΙΚΗ

Axioma I.

Commune disciplinæ officium est res explicare per præcepta, & exempla & explicationem transferre ad usum.

Disciplina officium est explicatio & ad usum, translatio. Probatio

Probatum Canon (1) ex regula communi, qua res extra usum est nihil. Hinc non termini tantum accuratè in disciplinis sunt cognoscendi, sed & cognitorum usus est attendendus. (2) *ab explicationis medio* quod in quavis disciplina est duplex, Genesis & Analysis. (3) *à præceptorum quidditate.* Præcepta enim nihil sunt aliud, quam termini unamquamq; rem certis limitibus circumscribentes, ut definitiones, divisiones, & affectiones rerum exprimantur. *Valet* de præceptis veris certis perspicuis, & rebus quas exhibent vel secundum rem vel distinctam rationem conformibus & adæquatis.

Limitatio

Axioma II.

Disciplina mensuranda est non secundum extensionem rationis formalis absolutè, sed secundum extensionem rationis formalis objecti, ut objectum scibile.

Formalis objecti ratio est talis respectu Scibilitatis

Ratio porismatis est, quia non formalis objecti ratio, prout objectum res est, utpote quæ disciplinà potest esse latior; sed

B. 3.

prout

prout illud est scibile, objectum scientiæ facit adæquatum. Vide
his Exc. D. Calovium in Methodol. reg. 1. p. 647.

Axioma III.

*Disciplina
requirit pe-
culiare ob-
jectum.
Probatio.*

Omnis disciplina certum & peculiare requirit objectum.
Probatur axioma (1) quia objectum est unicum disciplinæ
fundamentum. (2) quia objectum se habet instar centri, ad quod
omnis alia notio collimat, & ex quo omnium tam principio-
rum, quàm conclusionum veritates in aliqua disciplina prove-
niunt. (3) quia indeterminatio intellectus tolli nequit aut per
nihil aut per confusum, sed per reale, distinctum & ordinatum,
quale objectum est. (4) quia objectum disciplinis præscribit mo-
dum. Vid. D. Calov. in Horist. propæd. p. 423.

Axioma IV.

*Id est indi-
sciplina tra-
ctandum,
quod ad ejus
spectat for-
male.
Probatio.*

Quod sub ratione formali disciplinæ non continetur, id
nec ad illam disciplinam est referendum.

Confirmatur regula (1) quia ex sola subjecti formalitate
disciplinæ dependet & unitas & veritas. (2) quia norma discipli-
narum est ratio objecti formalis, quæ quousq; se extendit, eo
usq; est extendenda disciplina. Ratio namq; formalis adæquari
facit subjectum atq; scientiam. Quare quæ referri ad id adæ-
quatè nequeunt, ea non sunt propria disciplinæ, circa cujus ob-
jectum exponantur, dicente Geilfusio.

*Contempl. 2.
primæ philos.
§. 1. p. 26.*

SECTIO III. ΕΛΕΝΚΤΙΚΗ

Problema I.

Cujusnam disciplinæ est agere de objecto disciplinari? R.

*In Horistices
propædia
p. 338.*

*Contempl. 13.
p. 237.*

*l. 2. Enclydo-
pædia p. 61.*

*in Gnostol.
c. 6. can. 1.*

p. 19.

§. 1. Non una inter paucos hæc de materiâ qui laborarunt
datur sententia. Sunt qui ad Philosophiam Primam tractatio-
nem disciplinarum & objecti relegant, quatenus illa vel aliis
præscribit objecta, vel ipsa agit de materia, quæ vel est circa
quam, vel ex quâ, vel in qua. Circa quam dicitur objectum. Ita
præter Exc. D. Calovium qui Metaphysicæ parti speciali adjungit
ἐπιστηνὴν, in fine Metaphysices de determinatione objectorum
agit Geilfusius. Alstedius ea refert ad Technologiam, Amesius
ad Technometriam. Gutkuis & Eiflerus in Habitu intelligentiæ
objecti naturam expendunt. Laudatus D. Calovius in actu signa-
to & in idea tractationem hanc, vendicat Gnostologiæ.

§. 2. Nos

§.2. Nos antequam problematis defendamus affirmativam, circa controversiæ statum præmonendum ducimus, (1) non hic controversi de *existentia* tam *absoluta*, quâ quæritur an detur aliquod objectum disciplinare? id n. neminem sapientum ire negatum arbitramur; tam *respectiva*, ubi de peculiari ejus tractatu movetur quæstio, an scilicet peculiaris *εισομηνη* s. *ορισμηνη* & objectorum determinatio sit conscribenda? Hoc n. à nobis non negatur; sed quæstio hic potissimum est de *sede propria* & *genuina*, nimirum quanam in disciplina hoc propriè sit tentandum? (2) distingvendum esse inter tractationem objecti disciplinaris in *actu signato*, & in *actu exercito*. Non hic de eo est quæstio, an in actu exercito alicubi de eo sit præcipiendum? hoc enim negari potest minimè; sed an peculiariter in *actu signato*, *universaliter in communi* *idea* Gnostologiæ hæc tractatio sit vendicanda?

§.3. Quibus ita ordinè collocatis, hanc nos formamus conclusionem: SOLA GNOSTOLOGIA debet ea, quæ in genere & idea circa disciplinam ejusq; objectum discutienda sunt, cognoscere. Probamus effatum, (1) quia disciplina est principium & *πρωτη* cognoscibilis conservativum. Argumentamur: *Ubicunq; tractatur de cognoscibili, ibi etiam tractari ejus debet principium. Atqui in Gnostologia tractatur de Cognoscibili &c.* (2) quia disciplinare objectum disciplinæ est fundamentum. Argumentor: *Cujuscunq; disciplinæ est explicare disciplinarum naturam ut sic, eius est etiam agere de fundamento, quod est objectum: Atqui Gnostologia est &c. E.* Major patet, quia objectum facit ad disciplinæ essentiam. Minor constat ex cognoscibilis naturâ.

§.4. Hinc liquidò constat (1) non in Metaphysica de objecto disciplinari esse agendum, cum illud sub formale ejus objectum non cadat. Aliud autem est, objecta disciplinis inferioribus determinare, quod Metaphysicæ competit: & aliud de disciplinaris objecti naturâ genericè & in universali disquirere, quod solius est Gnostologiæ. (2) Technologia & Technometria, uti alibi disputavimus, frustra peculiare finguntur disciplinæ, adeoq; nec ad illas hæc referri potest tractatio, Entia enim, & sic etiam disciplinæ præter necessitatem non sunt multiplicandæ. (3) Ad objectum Nöologiæ hæc doctrina itidem revocari nequit, siquidem

dem illa doctrinæ hujus explicationem jam supponit, & ex ea-
dem saltim prima elicit principia.

Problema II.

Quodnam sit Objecti formale? R.

§.1. Lombardus q.3. proleg. ex Scoto formale objecti ponit in
virtuali comprehensione omnium veritatum habitus ejus, cujus est
objectum. Hinc Subjectum describit, quod in se primo continet vir-
tualiter omnes veritates illius habitus, cujus est subjectum. Michael
Zanardus in Comment. in l. I Met. lectione 2. & 3. p. 4. tres facit
subjecti adæquati conditiones, (1) *ut subjectum contineat & prædi-
cetur de omnibus consideratis in scientia, s. primario, s. secundo, sive
in recto, sive in obliquo* (2) *ut sit principale consideratum in scientia non
principalitate perfectionis, sed considerationis.* (3) *ut distinguat illam
scientiam de cæteris omnibus.* Alii objectum formaliter consistere
volunt in eo, ut illud sit univocum & analogum, non æquivo-
cum; neque concretum sive aggregatum. Nos uti ex disputatis
suprà apparet, formale objecti situm esse arbitramur cum D.
Calovio, Eislero & aliis, in eo, ut objectum disciplinæ, in nullâ aliâ
sit principium, affectio species vel modus. Vide requisitum 7.
sect. 1. adductum:

§.2. Contrarias ergo quod concernit opiniones. (1) Scoti &
Lombardi definitio merito arguitur imperfectionis, siquidem
inadæquatè naturam objecti explicat. Eodem enim modo, homo
brutum, cælum, planta &c. virtualiter in se primo omnes con-
tinent illius habitus, cujus homo, brutum &c. sunt subjectum,
non tamen adæquatum alicujus scientiæ absolvunt subjectum;
sed sunt tantum species corporis naturalis, quod est, adæqua-
tum considerationis Physicæ objectum (2) Zanardo idem expo-
brandum est vitium. Aliqua ille dicit, non, quæ debebat, omnia.
Deinde malè dicebatur subjectum etiam continere ea, quæ se-
cundario in disciplina tractantur. Ens rationis, Ens in potentia
secundario in Metaphysica explicantur, sub subjecto tamen ejus
non comprehenduntur. (3) Malè aggregatum omne excluditur
ab objecto, sicut illud suprà fuit annotatum. Hic enim
dum charta quiescere jubet, dicimus **GLORIAM
DEO!**

Coll. diss. A. 75, misc. 56